



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum, atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus, excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Locorvm Piorvm sub Regum immediata protectione existentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

dinalibus Aquaniua, & Carafa Archiepiscopis Neapolitanis, tempore, quo in mea iuuentute apud ipsos Iudicis officio fungerer existens Canonicus eiusdem Cathedralis Ecclesiæ.

RESOLVT. CLIX.

- 1 *Episcopi solent visitari facere per Vicarios, & alias dignitates.*
- 2 *Procuratio debetur Episcopo visitanti tantum personam.*

Procuratio an debeatur Episcopo, ubi visitat per interpositam personam.

- 1 *S*olent quandoque Episcopi locorum Ordinarij visitari facere Diocesim per eorum Vicarios, Archidiaconos, vel alias dignitates, quare posset dubitari, si Episcopo competat in tali casu procuratio, & quidem ego in collect. decis. par. 3. collect. 592. versic. limita nunc, fui in opinione negatiua, quia procuratio debetur Episcopo visitanti personam, ut cautum est in cap. procuraciones de censibus, quam meam opinionem in specie sequitur Nouarius in opusculo noui iuris pontificij conclus. 4. sub num. 1. sub rubric. de visitat. ubi etiam ad id allegat Nald. in summa in verbo visitare num. 4.

Licet Zerola in praxi Episcopali in verbo visitatio dub. defendat, ut quando Episcopus visitat per alium tenentur visitati ad singula ipsi visitatoribus, ac si Episcopus visitaret, taliter quod dicendum est veram esse opinionem illam, quod Episcopus ubi non visitat personaliter, nequit accipere procuracionem, sed non per hoc negari potest, quin debeatur illis, qui nomine Episcopi visitant, prout ita statutum est in cap. si Episcopus de officio Ordinarij, cuius verba proprie, prout ibi sunt, hic transcribere volui, & sunt, quæ sequuntur. Si Episcopus suam Diocesim, ubi ei à iure permittitur, faciat per alium visitari, licet ille ipse habeat in alijs necessarijs providere, ij tamen, qui visitantur ministrare tenentur expensas vidualium visitanti, cum secundum Apostolum sit magnum, si ab eo metantur temporalia, per quem spiritualia seminantur, idem tamen Episcopus cum personaliter non visitat, nihil prorsus ab ijs, qui per illum, quem deputat, fuerint visitati exigere poterit, aut debet.

PRAXIS LOCORVM PIORVM
sub Regum immediata protectione existentium.

RESOLVT. CLX.

- 1 *Episcopi visitare tenentur non solum singulas Ecclesias, sed & cetera loca diocesana.*
- 2 *Loca pia subiecta immediatè protectioni Regiæ sine eorum licentia visitari nequeunt.*
- 3 *In dubio Ecclesiæ, & loca pia præsumuntur subiecta Episcopo Diocesis.*

Loca pia, quæ sub Regum immediata protectione sunt, an possint visitari ab Episcopo.

Quamuis quolibet anno, vel si Diocesis tam ampla sit, ut anni spatio comodè circui nequeat saltem singulis duobus annis eorum gregem per semetipsos, nisi fuerint impediti visitare debeant Episcopi, ut disponitur per Sacrum Concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 3. & una simul tanquam Sedis Apostolicæ delegati visitare tenentur non solum singulas Ecclesias, & Monasteria, sed etiam, & alia loca sacra, quæ in sua Diocesi reperiuntur, vt

idem Sacros. Concil. Trident. mandat cap. 8. de reformat. sess. 7.

- 2 *Tamen vigore eiusdem Conciliaris dispositionis sess. 22. de reformat. cap. 8. non possunt ab Episcopo visitari loca pia, quæ sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia, prout, & recenter quoque meminit ultra alios antiquiores. Nouar. in suo opusculo noui iuris Pontificij conclus. 4. num. 2. sub rubrica de visitatione, & videndus est Bouadill. in sua politica lib. 2. cap. 18. num. 218. num. sequ. qui loquitur de hospitali Regio, quod est de iure patronatus Regio, vt non possit visitari per Prælatum sine licentia Regis.*

Vnde licet Episcopus de iure communi habeat intentionem fundatam, quod valeat visitare omnes Ecclesias sibi subiectas, cap. 1. §. hanc autem de censibus in 9. & subiectæ præsumantur quæcumque existentes in ipsa Diocesi, Rot. decis. 286. n. 2. par. 1. diuers. Marefcott. var. resolut. lib. 2. cap. 15. Tamen id cessat, ubi tales Ecclesiæ essent sub Regum immediata protectione.

RESOLVT. CLXI.

- 1 *Ad loci Ordinarium pertinet cognoscere an loca pia sint exempta.*

Locus pius an sit sub protectione Regis, num cognosci debeat per Episcopum.

In facti contingentia sui requisitus, quid sentirem, si ubi Episcopus intendit visitare locum pium, & excipitur illum esse sub protectione Regiæ, & consequenter esse exemptum à visitatione, si id debeat cognosci per Episcopum.

Et fui in opinione affirmatiua spectare scilicet ad loci Ordinarium id cognoscere, prout & ita determinauit Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Concilij Interpretum per hæc verba.

Congregatio consensit si Episcopo hospitale aliquod visitare volenti opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, utique ad ipsummet Episcopum talis exceptionis cognitionem, & diffinitionem pertinere.

Et iuxta hanc eandem opinionem scripserunt quoque Marta in tract. de iurisd. par. 2. cap. 18. num. 8. qui de eadem declaratione Sacre Congregationis meminit, & Costa concl. 4. num. 3.

RESOLVT. CLXII.

- 1 *Hospitalia eatenus dicuntur exempta, quatenus expressè sint sub protectione Regiæ.*
- 2 *Exclusio inducta à statuto non procedit nisi in casu, & persona expressa.*
- 3 *Extensio non conceditur in correctorijs.*

An omnia Hospitalia, quæ sunt in Ditionibus, & Regnijs Regum sint exempta à visitatione.

Sacra Congregatio Eminentissimorum Concilij Interpretum declarauit, quod exceptione hospitalium, quæ sub Regum protectione immediatè sunt, vt sine eorum licentia non possint ab Episcopis visitari, non comprehendantur omnia hospitalia, quæ sunt in eorum ditionibus, & Regnijs sed illa tantum quæ expressè reperiuntur sub Regum protectione.

Cuius declarationis ratio euidentissima esse videtur, nam Concilium sess. 22. de reformat. cap. 8. loquitur præcisè de illis hospitalibus, quæ sub Regum immediatè protectione existunt, vnde non debet extendi ad alia, & de casu ad casum, quia quod Concilium non

non dixit, nec nos dicere debemus, maxime quia Concilium in hoc est correctorium iuris communis, & ideo strictè intelligendum, Nouarius forens. q. 7. n. 18. lib. 1. vbi etiam quod casus omittitur a Concilio pro omisso debet haberi, probans quod exclusio inducta a statuto non procedit nisi in casu, & persona expressa ex Magon. in decis. Florent. 147. num. 9. Et extensio non conceditur in correctorijs l. precipimus, C. de appellat. l. si vero §. de viro ff. solut. matrim. Tiraq. de leg. connubial. gl. 2. n. 22. & de reuocand. donat. in verbo libertis n. 73. vbi ampliat, etiam quod dispositio correctoria aequitati valde innitatur, cum omnis recessus a iure communi odiosus reputetur, Iaf. in leg. qui exceptionem post n. 1. ff. de condit. indeb. Crauet. de antiq. tempor. par. 4. in princip. num. 42. latè Tiraq. de retrac. in prefat. num. 62. vbi ampliat etiam quod dispositio fuerit facta in fauorem alterius, Menoch. de recuper. possels. remed. num. 42.

RESOLVT. CLXIII.

- 1 Consortes litis gaudent eodem beneficio electionis fori, & quare?
- 2 Magis dignum trahit ad se minus dignum.
- 3 Quod quid ex sua persona non habet, per alium impetrat.
- 4 Socius Doctoris gaudet privilegio Doctoris.
- 5 Officium quod alteri vnitur, emittit pristinum nomen.

Hospitalia quæ non erant sub protectione Regia antistante vnione, & reductione in vnum cum hospitalibus existensibus sub protectione Regis visitari possunt.

Vbi eumque succedit casus; quod hospitale, quod non est sub protectione Regis vnitur alteri, quod sub Regia protectione stat, tunc visitari non potest, quia exemptio, quæ erat illi hospitali sub Regia protectione existenti, communicatur etiam hospitali non privilegiato, cum connexorum idem sit iudicium e. translato de constitut. cap. preterea, & ibi gl. de offic. deleg. plenissimè Nouarius in sua praxi elect. for. q. 1. sect. 3. in vltima impressione Neapolitana, vbi per plura media concludit, consortes litis cum habentibus beneficium electionis fori gaudere eodè privilegio eligendi forum, nam connexa dicuntur indiuidua, Surd. decis. 199. n. 13. & connexa reputantur vnum, Scacc. de appell. q. 17. limit. 21. sub n. 25.

Et quis consequitur privilegium ex persona socij, quæ ex sua persona consequi non posset, Monter. dec. 14. n. 84. sequitur Nouarius forens. q. 155. lib. 1. vbi latius fundat quod sententia lata contra minorem in defensum sicuti contra eum tamquam nulla exequi non potest; ita nec etiam aduersus eiusdem correos, & confocios.

- 1 Item quia in tali vnione privilegia data vni competunt alteri, quamuis sint contraria fauorabilia, & meliora conferuabuntur, vt post alios notarunt Garcia de benefic. part. 12. c. 10. titul. de vnione num. 10. Marefcot. var. resolut. lib. 2. c. 15. num. 4. qui loquitur in visitatione in Ecclesia vnita alteri, quod gaudeat exemptione Ecclesiæ cui vnitur.

Et facit nam hospitale sub Regis protectione, dicitur magis dignum, cum privilegiatum sit, magis enim dignum trahit ad se minus 10. Nicol. in addit. ad Rocc. de Curt. de iur. patronat. lib. 2. num. 208. Iul. Cef. Mad. tract. de Sacr. Ordin. c. 18. n. 36. vbi motus dicta ratione asserit, quod si laicus habeat ius patronatus, cum Ecclesia dicitur mixtum, & privilegium Ecclesiæ transit in laicum, qui cum infra quadrimestre beneficium presentare teneatur sine casu ratione, communioris potuit presentare cum patrono Clerico intra semestrem, allegat. Theaur. de collat. benefic. cap. 18. num. 46. cum seq. Nouar. in tract. de elect. fori

dicta quæst. 1. vbi alios adducit huius opinionis.

Tantò fortius nam vnio Hospitalium indiuidua est, & ex illius vnione Hospitalia erectum, & sic curam possit Prælatum visitare Hospitalia olim sibi subdita, & relinquere quæ sunt sub Regis protectione, quia, & vnita, & taliter quæ indiuidua sunt, & non apparent alia subdita distincta ab exemptis, vnde succedit vera conclusio, quod ex confortibus, & socijs, etiam non privilegiato, alterum privilegium prodest, dum causa eorum diuidi, & separari non potest, l. si communem in princ. ff. quemadmodum seruit. amit. l. vna est via. ff. de seru. rusticor. prædior. ibi si is qui duos, ff. de liber. legat. l. 4. §. si fundus ff. si seru. vindice l. precipimus in fin. C. de appellat. l. 1. & 2. C. si vnus ex pluribus appellauerit, sæpe enim, quod quis ex sua persona non habet, per alium impetrat il 3. ff. quæres pignorat. obligat. non poss. Item laicus pro indiuiduis gaudet beneficio Clerici c. per tuas, & c. ad audientiam, §. fin. de præscript. Gail. obseruat. 20. n. 2. & de pac. public. lib. 1. c. 6. n. 17. & res temporales iunctæ Ecclesiasticis censentur Ecclesiasticæ, vt reperit Crauet. consil. 279. colum. penult. Dec. in l. rogasti, §. si tibi n. 6. ff. si cert. petat. item socium Doctorum gaudere privilegio Doctorum, notant Arnon. sing. 83. Bombin. dubit. 8. post eius consilia, & ante eum Bald. in additione ad primam constitutionem, ff. veter. §. hæc autem nostra Aghat. in tract. de privileg. lib. 2. c. 4. n. 86. qui latissimè per plures numeros infert, quando privilegia concessa vni ad alios extendantur, & quando Ciuitati extendatur ad Castra, & villarum n. 115. & seq.

Et confert etiam quod dixit Bart. in l. si quando in fine C. de appell. quod quando vnum officium vnitur alteri, aliud, quod vnitur extinguitur, & amittit nomen prioris, Rota in antiquis decis. 11. de rebus Eccles. non alien. Veral. in decis. in verbo vnio par. 3. Faber decis. 74. de sacrosanct. Eccles. adeo, quod si appellatur, qui retinet illa duo officia debet appellari ad digniorem, Nouarius forens. quæst. 11. n. 9. part. 1. qui alia adducit, quæ possent huc adaptari pro corroboratione.

RESOLVT. CLXIV.

- 1 Licentia Regis requiritur, ut visitari possint Hospitalia sub eius protectione.
- 2 Rex generaliter concedendo non dicitur concedere ea quæ sunt sibi reservata.
- 3 Visitatio Diocesis est reservata soli Episcopo.
- 4 Absolutio reservata Papæ, non censetur concessa sub generali concessione.

Licentia Regis qualiter esse debeat vt Hospitalia sub protectione Regia existentia, possint visitari per Episcopum.

Certum est, quod de licentia Regis hospitalia, quæ sunt sub protectione Regia possunt visitari, sed est aduertendum huiusmodi licentiam debere esse specialem ad hunc effectum, vt in proprijs terminis loquendo dicit Valasc. decis. Lusit. 105. n. 62. vbi merito voluit, quod vbi Episcopus est electus a Rege non per hoc per talem electionem videtur concessa licentia visitandi hospitale erectum sub protectione Regia, quia requiritur licentia specialis, taliter quod in generali mandato, & concessione illa non celsetur data, & in generali concessione non venit ista licentia, quæ specialitatem requirit, quæ cum Principi sunt reservata in signum supremæ potestatis, non veniunt in generali concessione nisi specialiter exprimantur. Paris. consil. 10. n. 1. lib. 4. Roland. consil. 76. n. 10. lib. 3. Petr. de potestate Princip. c. 22. n. 36. dicit, quod si in concessione Regni, vel a Principe supremo emanata sit di-

fit dictum cum translatione omnis imperij, & potestatis cum omni iure quod habet concedat, nullo reservato, adhuc non veniunt reservata Principi, sed solum ea, quæ possunt convenire communiter cuilibet inferiori in re sua, & sic illo verbo debent intelligi de iure quod habet in re concessa, tanquam Dominus eius, non autem tanquam Rex, aut Princeps, allegat. Riminald. conf. 1. num. 20. vol. 6. immo in dubio Princeps generaliter concedendo non videtur concessisse sibi reservata in signum supremæ potestatis, Matienf. conf. 6. num. 9. gloss. in cap. cum venerabilis, de consuet. in verbo causa conventionis exemplificatur in Episcopo, qui eximat aliquam Ecclesiam quibuscumque generalibus verbis, non intelligitur exemptam voluisse a visitatione, & alijs sibi reservatis, item nec Vicarius Episcopi cui sit attributa generalis potestas faciendi omnia, quæ potest ipsemet Episcopus potest Diocesim visitare, absque speciali mandato, quoniam visitatio Diocesis est reservata soli Episcopo, & ea, quæ sunt de reservatis, non veniunt in generali mandato, & concessione, Iacob. 5. Brocc. de Vicar. Episc. qu. 120. num. 2. 3. & 4. lib. 2. subdit num. 5. quod in generali mandato Episcopi non veniunt ea, quæ verisimiliter non erat concessurus, exemplum etiam ponit Doct. in Principe, qui tribuens alicui generaliter omnimodam eius potestatem, non intelligitur tribuisse, nec a se abdicasse appellationem, appellatio enim est de reservatis Principi, Bal. in auth. quas actiones, vers. ex his apparet, C. de sacros. Eccles. Italia enim reservata Principi non veniunt in generali concessione nisi specialiter exprimantur, ita concludit Nact. consil. 508. num. 24. lib. 3. ubi reprobatur Iason tenentem contrarium in consil. 161. lib. 2. per illam dictionem omnimodam idem & in Papa, puta si dat potestatem alicui Legato de latere conferendi beneficia qualitercumque vacantia non poterit conferre beneficia reservata ipsi Summo Pontifici, Roland. conf. 75. num. 23. lib. 3. idem in absolutione reservata ipsi Papæ non censetur concessa sub generali dispensatione absolutionis, sed requiritur quoad specialiter demandatur, quæ autem sunt reservata non transeunt sine speciali privilegio, Abb. in cap. prudentiam, §. 6. nu. 4. de offic. & potest. Iudic. deleg.

RESOLVT. CLXV.

- 1 Visitare loca pia Regia non possunt Episcopi.
- 2 Episcopus non visitat Cappellas exemptas.
- 3 Visitatio exemptorum circa respectum diuinum cultum datur.

Loca pia existentia sub protectione Regum an possint visitari ab Episcopo quo ad decentiam diuini cultus.

Quamuis propriè, & formaliter visitare loca existentia sub protectione Regia non valeant Episcopi sic mandante Concilio Tridentino, tamen bene possunt illa visitare circa concernentia diuinum cultum, & eiusdem loci ornamenta, ut tenet Pereira Hispanus in suo tract. de manu Regia cap. 17. num. 12. par. 2. cuius hæc sunt verba.

In his confraternitatibus de Regi protectione possunt inquirere Prælati decentiam diuini cultus, & ornamentorum ex reg. c. 1. in fine de custod. Euchar. & per totum titulum de Reliqu. & vener. Sancti. unde Abb. in c. vult de censibus, & plures quos citat Paris. consil. 34. inquit, quod licet Episcopus non visitet cappellas particulares, & exemptas, tamen potest inquirere condecenter, ubi sacra ministrantur. Nec obstat Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. quia procedit circa opera quæ in illis locis exercentur, & circa petendas rationes eorum quæ ibi expendantur, non autem de visi-

tatione circa cultum Diuinum, quæ ad Episcopum necessariò, & priuè spectat, quia res spiritualis est, & ecclesiastica, & debet intelligi, ut ordinarij non visitentur in his quæ sub protectione Regum comprehenduntur non verò de diuinis, in quibus Reges iurisdictionem non habent.

3 Pro qua opinione facit, quod Episcopus potest visitare etiam exemptos circa ea, quæ respiciunt diuinum cultum, ut percipitur à Nouario conclus. 3. n. 6. & conclus. 5. num. 4. de visitat.

RESOLVT. CLXVI.

- 1 Exemptio est alleganda, & probanda.
- 2 Fori priuilegium habens, an teneatur comparere, & vide num. 3. ubi distinguitur.

Loca pia quæ sunt sub protectione Regia, si Episcopus illa visitare prætenderet an debeant comparere, illorumque exemptionem probare.

1 Vbi cumque Episcopus intenderet visitare loca pia, quæ fortasse sunt sub protectione Regiæ, debent comparere, & allegare eorum exemptionem, iuxta l. si quis, ff. de iudic. & l. si quis in ius vocat. non ven. in quibus locis habetur, si quis à Iudice etiam in competenti citatus prætendat, se ad comparandum non teneri, quod nihilominus venire debeat, & allegare suum priuilegium, causasque quare non teneatur.

2 Et licet contrarium suaderi possit ex latè scriptis per Caroc. in tract. de exceptionibus quæst. 3. except. 22. & per Nouat. in tract. de elect. fori quæst. 10. sect. 1. in antiqua impressione Neapolit. ubi fundauit habentem fori priuilegium, non teneri comparere, eorumque priuilegium allegare ex Afflict. in constitut. Regni statuimus, notab. 7. quæst. 6. num. 18. Addit. ad Cyn. in l. vnica. Cod. quando Imperator inter pupill. & vid.

3 Tamen pro vera resolutione distinguendi sunt sequentes tres casus iuxta doctrinam Innoc. in l. contumel. ff. de re iud.

Primus est si certum sit citatum de iurisdictione citantis esse, tunc meritò comparere debet ne reddatur contumax per dicta leg. contumacia. in fine cum similibus.

Secundum si manifestum sit, & euident citantem non habere iurisdictionem in personam citati, sicut Iudex laicus in Clericum, non habet iurisdictionem, tunc non opus est, vel comparere, vel allegare priuilegium, imò Iudex incompetens excommunicari potest, quousque desisteret, cap. si Iudex laicus de sent. excomm. lib. 6.

Tertius casus est, si sit probabile dubium, an vocatus eximi à Iudice citante, & excusari possit, tunc vocatus comparere, & allegare suum priuilegium, & iuxta hæc obseruauit Camera Imperialis, ut apud Ming. obseruat. 7. centur. 6. & vide Gail. obseruat. 49. num. 7. 8. 9. 24. lib. 1.

RESOLVT. CLXVII.

- 1 Protectio Regia in limine debet haberi.
- 2 Exemptio non potest acquiri post.
- 3 Gratia Principis non intelligitur cum præiudicio tertij.
- 4 Præiudicium tertij semper censetur exceptum.

Loca pia an possint poni sub Regia protectione longè post ipsam erectionem autoritate Episcopi factam.

1 Respondetur negativè ex infrascriptis. Tum primo, quoniam necesse est, ut protectio Regia imploretur in limine, & in principio erectionis alio-

alioquin longè post erectionem est nulla, & non suffragatur ex decis. Rotæ apud Seraphinum 1599. part. 2. & ita Caualecan. de brachio Regio quæst. 9. num. 3. Burculen. conf. 3. & in conf. 99. Menoch. consil. 721. volum. 3. & ratio palpabilis est, quia protectio Regis æquipollet exemptioni argumento text. in cap. ex parte, & ibi communiter omnes de priuilegijs: & exemptio non potest acquiri post, ex Cened. quæstionum Canonicarum quæst. 11.

- Tum secundo, quia non potest acquiri in præiudicium Episcopi argumento text. in cap. quamuis de re scriptis ex quo gratia Principis numquam intelligitur cum præiudicio tertij, cui medio tempore ius quæsitum reperitur argumento eorum, quæ notantur in cap. inter quatuor de maioritate, & obedientia, & facit text. in l. nec aures, C. de emancipationibus liberorum, quia præiudicium tertij semper censetur exceptum Nouarius forens. quæst. 63. num. 7. lib. 1. ubi quod semper censetur exceptuatum dum lex loquitur, & ideo dicit ipse Principem non præsumi donare cum aliena iactura, & tertij præiudicio ex Rota in vna Neritona. pensionis Veneris 1. Iunij 1605. coram R. P. D. Pegna, & Princeps faciendo gratiam non censetur remittere illud quod læsum tangit Nouarius recentissimè forens. quæst. 96. n. 2. par. 2.

PRAXIS RELIGIOSORVM ordinum militarium.

RESOLVT. CLXVIII.

- 1 Episcopus sedet post caput, quando non intrat vti Episcopus.
- 2 Antiquitas receptionis attenditur in Congregationibus.
- 3 Vicarius qui sedet vt Canonicus non habet primum locum.

An Episcopus Meliten. federe debeat immediatè post magnum Magistrum, vel alium loco ipsius, illo absente.

Respondi cum decisione Rotæ, cuius tenor est, Episcopus Melinetanus iuxta conuentionem inter Imperatorem, & Hierosolymitanam Religionem in fundatione Insulæ Meliten. debet habere magnam crucem, & esse de consilio, & quia præminentia inter ipsum, & alios milites, & Priores dictæ Religionis controuersia vertebatur coram D. Guidobono fuit dubitatum an Episcopus in consilijs, & alijs locis debeat sedere, & incedere immediatè post magnum Magistrum, vel alium qui absente magno Magistro, vt caput præsideat? Dicebatur pro parte Episcopi, quod Episcopus intrabat in consilijs, vti Episcopus ex quo inferebatur quod quando intrat in aliquo Collegio, vti Episcopus licet non sit caput in loco, semper ipse debet sedere post caput, Abbas in capit. postulasti num. 8. de concess. præbend. Felyn. in rubr. de maiorit. & obedient. column. 2. in fin. vers. Episcop. Cassan. in Cathalogo gloriæ Mundi part. 4. considerat. 45. & quia Episcopus sedet, vt Episcopus, & magna Crux fuit ei data, vt Episcopo, ideo debet sedere post caput.

Nec obstat dicebatur quod dictum Abb. in d. cap. postulasti, & aliorum procedat inter subditos, quia ista responsio non est vera, nam loquitur in Episcopo, qui existit in studio, & sedet in vniuersitate Scholarium, quia sedet post Rectorem, & tamen non est inter subditos suos.

- 2 Nec obstat quod in Congregationibus attenditur antiquitas receptionis, quoniam secus est, quando concurrat dignitas Episcopalis, quæ culmen dignita-

tum dicitur, vt habetur in cap. 1. de præbend. Abb. in cap. cum Victorien. col. 4. de elect. Iaf. in l. Imperium colum. 4. ff. de iurisdic. omni. iudic. & alias omnes dignitates antecellit Cardinal. in cap. 1. de priuileg. & est text. in cap. innotuit de elect.

- 3 Non obstat dum dicitur quod Vicarius qui sedet, vt Canonicus non habet primum locum, Felin. in cap. ex litteris in 1. notab. de probat., quia illud procedit quando non sedet vt Vicarius, sed tamquam simplex Canonicus, alias secus esset. Accedit ad hoc conuentio facta per Imperatorem cum Religione dum conuentum fuit Episcopum debere insigniri magna Cruce, & sic insignitum in consilio recipiendum, & per consequens honorandum tanquam Episcopum, Præterea sui prædecessores primum locum post magnum Magistrum habuerunt in quorum loco Episcopus subrogatus fuit ideo in illo loco, & priuilegio debet admitti, leg. si eum, §. qui iniuriarum, ff. si quis cauti Bart. in l. si quis §. 1. C. de inoff. test. Rip. in 2. respons. colum. 4. vol. 2.

RESOLVT. CLXIX.

- 1 Beneficia sacri Ordinis Hierosolymitani censebantur simplices administrationes, & censentur regularia, vide num. 2.
- 3 Fructus vacantis beneficii cuius sint.

Fructus comendæ ordinis Equitum Hierosolymitanorum vacantis ad quem spectent.

- 1 Antiquitas beneficia Sacri Ordinis Hierosolymitani censebantur simplices administrationes ad nutum superioris amouibiles, quia ratione trium votorum substantialium regulæ Religiosi erant incapaces beneficiorum ecclesiasticorum, Mandos. super regul. 19. Cancellar. quæst. 2. Put. decis. 392. lib. 1. Mohe. dan. decis. 10. & 11. de caus. possesi. & propriet. & alij. Tamen quia deinde ordo obtinuit in priuilegium à bonæ memoriæ Clem. VII. vt valeret alternatim beneficium Ordinis conferre in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, seu etiam ad nutum amouibiles, & ipse ordo electionem fecerit ea conferendi in titulum beneficii perpetui ecclesiastici Regularis, & ita vsus & consuetudo obtinuit, & in dies conferat ad decem annos comendas, & vltra ad beneplacitum conuentus ex quo dum durat beneplacitum, dicuntur esse, & habere naturam perpetui, cap. signaturæ de re script. in 6. Bart. & Nicol. de Neapol. in l. 1. de excus. tutor. Specul. in titul. loc. §. nunc verò aliqua, & finitur morte, Angel. consil. 217. Soccin. iun. consil. 89. num. 36. vol. 1. & Corn. consil. 112. & consil. 235. par. 2. Rebuff. in praxi benefic. titul. de com. & Nauar. in rubric. extra de præbend. & in tract. de redd. Eccles. quæst. 3. wonit. 27. Nouarius in tract. de priuileg. miserabil. personarum priuileg. 128. quod beneficia huius ordinis sunt Ecclesiastica regularia, & conferuntur perpetuò in titulum beneficii ecclesiastici, & Rota diuers. decis. 39. & 772. par. 2. quod ideo subsunt regulæ de resignandis, & Crescent. inter dictas decis. Rotæ volum. 3. decis. 970. quod S. P. voluit vt declararetur si valide possunt amoueri à Superiore stante consuetudine quod non amoueantur sine causa à statutis cognita, & ordinata quibus, & alijs stantibus ord. Gregor. XIII. ita declarauit in causa comendæ dello Maldeo, quam Reuerendissimus Episcopus Meliten. ante promotionem ad episcopatum habebat in titulum comendæ, quia vacabat per promotionem ad episcopatum tanquam beneficium ecclesiasticum perpetuum iuxta vsum, & consuetudinem ordinis quare bene intrat extrauag. Iulij Tertii, vt fructus, durante vacantia talis beneficii, sint successoris pro supportandis oneribus beneficii, &